180.

Q. D. B. V.

DE

MORTE NATURALI

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

DIVINO FAVENTE NUMINE

CONSENSU atque AUCTORITATE

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

In Inclyta Studiorum Univerſitate

ARGENTORATENSI

PRO

Impetrandis Summis in Medicina honoribus & privilegiis

DOCTORALIBUS

SOLENNI Eruditorum Examini ſubmittit

&

d. 24. *Novembris* M DCC XXXI.

horis locoque conſuetis defenſurus eſt

AUCTOR

LEOPOLDUS FRIDERICUS LE CONTE, MONTBELGARDENSIS.

ARGENTORATI, Literis GEORG. ADAMI PIESCKERI, *Univ. Typogr.*

VIRIS
AMPLISSIMIS
NOBILISSIMIS
EXPERIENTISSIMO
CONSULTISSIMO
DOMINO
EBERH. LUDOVICO
DE VILLENEUVE
MEDECINÆ DOCTORANDO ET PRACTICO
MONTBELGARDENSI
FAMIGERATISSIMO atq; FELICISSIMO
DOMINO
JOH. GEORG. LE CONTE
ADVOCATORUM MONTBELGARDENSIUM
SENIORI, PARENTI SUO OPTIMO.
OMNI HONORIS OBSERVANTIÆQUE CULTU PROSEQUENDIS
ET VENERANDIS
HOC QUALECUNQUE
SPECIMEN INAUGURALE
SUBMISSA ANIMI VENERATIONE
PRO ACCEPTIS BENEFICIIS IN PIETATIS TESSERAM.
D. D. D.
OBSERVANTISSIMUS COGNATUS ET OBSEQUIOSISSIMUS
FILIUS
LEOPOLDUS FRIDERICUS LE CONTE.

PROOEMIUM.

NIhil in hoc mundo ut opinor, vita pretioſius. Sed, proh dolor! abunde conſtat, quod tùm ob actualia peccata, tum maxime ob Protoplaſtarum lapſum juxta legẽ divinam (*a*) nos mori neceſſe ſit. Quo conſpirant verba HORATII dicentis (*b*)

Omnes una manet calcanda ſemel via lethi.

Et SENECÆ, qui *Mors*, inquit, *eſt naturæ lex, tributum, officium mortalium malorumq́; remedium.* Interim

(*a*) Geneſ. cap. II. ℣. 17. (*b*) Horat. od. 28. l. 1.

terim mirandum eſt, quod cum de morte inevitabili conſtet, ejus momentum quô accedet ſit incertum, illiusque divini mandati fixus & certus terminus nulli hominum cognitus ſit, quô ſuum ſortietur effectum & in corpora dominium exercere valeat, quia neque Sapientiſſimo Creatori ita placuit neque eâdem viâ ad iſtam pervenire poſſumus. Nam Mors eſt vel naturalis, vel morboſa, vel violenta. In prioris rationes inquirere mecum conſtitui, atque Speciminis Inauguralis loco, cur Homo naturaliter moriatur? quædam commentari animus eſt. Cæterum rogo Benevolum Lectorem, tenues meos labores æqui bonique conſulat. Deum vero T. O. M. ſupplex veneror, conatibus meis benignam adſpiret auram, quo omnia in Sanctiſſimi Nominis gloriam, proximique cedant emolumentum.

S. D. G.

S. D. G.

§. I.

ANtequam ad ſpecialiorem thematis evolutionem perveniam, par eſt, ut juſtam & veram vitæ deſcriptionem præmittam, quo genuina mortis Idea per ejus oppoſitum clarius pateſcat: priusquam vero id fiat, quid per vocabulum vitæ intelligam ſequentibus verbis illuceſcet. Accipitur Vita quandoque pro moribus, (*c*) ſic TERENTIUS *Inſpicere tanquam in ſpeculum vitas hominum jubeo* & LIVIUS (*d*) *Vita hominum ex ante actis ſpectabitur.* Aliquando pro alimento ſeu victu, ſic iterum COMICUS (*e*) *Nam tua quidem hercle hæc vita certe expetenda & optanda.* Interdum pro ratione vivendi uti CICERO (*f*) *Serpit per omnium vitas amicitia,* & alibi (*g*) *Vita honeſtiſſima & ſuaviſſima.* Tandem Vita ſæpe pro *eſſe* ponitur & reciprocè *eſſe vivere* denotat. *Nam qui eſt, vivit*, ut ait PLAUTUS. (*h*)

§. II.

Vita diverſas a Medicis definitiones accepit. Alij eam vocarunt, *inter corpus & animam commercium.*

(*c*) In Adelphis. (*d*) 2. ad Heren, (*e*) in Heaut. (*f*) de ſenectute, (*g*) pro Roſc. Amer. (*h*) Taubm. ad eund. p. 14. & 1331.

cium. (*i*) Alij qui cum HELMONTIO loqui amant dixerunt, quod ſit *Principium formale, quo animalia quæque agunt, quod agere juſſa ſunt.* (*k*) Celeberrimus verò STAHLIUS *Conſervationem mixtionis a putredine corporis animalis ab anima mediante motu organico Mechanice præſtitam* (*l*) eam nuncupat. Si meam aperire licet de his definitionibus mentem, puto; priorem magnum verborum in ſe apparatum comprehendere, ſenſum vero nullum continere, nam licet commercium, plerumque adſit, idem tamen per illud ſignificatur ac per vitam ipſam, ſicque hanc definitionem nullam claram ac diſtinctam vitæ ideam in mente noſtra excitare; ſecunda vero definitio nimis obſcura eſt nullumque clarum conceptum de vita in nobis producit; Tertia etiam ſuis premitur difficultatibus, nam prædicatum hujus, non ſui ſubjecti tam naturam, quam potius ejusdem effectum ab integrâ vita pendentem denotare conſtat, quâ perſtante in integrum etiam permanere debet corporis animalis mixtio; Cum vero his diutius inhærere non expediat, ulterius progrediar, requiſita ſive principia Vitæ in medium proferendo.

§. III.

Ad Vitam requiruntur *tria ſolida majoris uſus* (*m*) *& duo fluida.* Primum & principale requiſi-

---

(*i*) Joh. Helf. Jungken fundam. Med. Mod. elect. p. 147. (*k*) id. p. 148. (*l*) ejusd. Diſſ. de Theor. vitæ & mortis. (*m*) Lanciſ. de mort. ſubit.

quiſitum vocatur Machina Cordis, ſuis auriculis & ventriculis, inter quos locatum ſeptum, inſtructa, cum appenſis vaſis uſui publico & privato deſtinatis arterioſis venoſisque & adhærentibus valvulis tricuſpidalibus, mitralibus & ſemilunaribus, quarum pariter & ventriculorum, auricularum & ſepti uſus in Anatomicorum phyſiologorumq; libris ſatis ſuperque deſcribitur. Cor una cum vaſis habetur ut machina illa (ſi comparatio quæ ex operatione cordis (*n*) emboli ſimillima quoad effectum hic valet) quam Antliam vocamus, ſed hæc duplex eſt, quia embolum & corpus conſtituunt fibræ muſculares ſubſtantiæ cordis, quæ per motum ſyſtalticum propellunt Sanguinem in vaſa arterioſa ut antlia per impulſionem emboli per corpus pellit liquorem in canaliculum; Aſt perfectior eſt naturalis artificiali, ex eô quod hæc careat tubulis prope embolum poſitis, liquorem propellendum adducentibus, in illa tantum reperiundis; quæ venæ vocantur, cava juxta dextram, pulmonaria juxta ſiniſtram locata auriculam; ita quidem ut cor ſanguinem continuo recipiens in cavis ſuis per diaſtalticum motum naturalem (*o*) quem excipit violentus ſyſtalticus (*p*) de actione ſua nihil remittat, modo duo requiſita ſemper

per

(*n*) Borelli Tract. de Motu animal. cap. VI. propoſ. LXXI. *quia emboli operatio non differt ab operatione cordis quoad effectum* & propoſ. LXXIV. *tempore quo pulſant arteriæ intra eas alia nova portio ſanguinis a conſtructione cordis tanquam ab embolo immittitur.* (*o*) Boerhave inſtit. med. §. m. 190. (*p*) id. §. m. 187.

per adſint. Ingreſſus ſanguinis in propriam ſubſtantiam & communicatio cum cerebello: ſicque perpetuum per totam vitam habetur animantium mobile.

§. IV.

Secundum Solidum requiſitum in Inſtrumentis Reſpirationis reperitur, in arteria aſpera ad minimas pulmonum veſiculas usq; ducta & extenſa, cum partibus cavitatem thoracis conſtituentibus & eidem annexo diaphragmate. Quemnam uſum habeat aſpera arteria, unicuique primis anatomiæ principiis imbuto patet, qui alius non eſt, niſi ut viam præbeat aëri ad pulmones, qui in veſiculas ejusdem illapſurus easdem extendit, ſuperando vim naturalem pulmonum (*q*) iisque dilatatis, comprimat inæqualiter humores in vaſis ſuis contentos, præcipuè ſanguinem arteriarum venarumque, (*r*) quem niſi hoc modo ulterius promoveret, dum pulſus cordis vaſorumque pulmonalium arterioſorum huic operi præſtando ſunt inſufficientes & incapaces, ob debilem hujus viſceris ſtructuram, viam proſequi minime poſſet, ſicque diutiùs retardaret illum a tergo venientem vi dextri cordis ventriculi propulſum, & in arteriis minimis jam poſitum, cui cum via ulterius progrediendi interclusa ſit, neceſſario ſtagnare cogeretur, circulationemque ſanguinis primo in arteriis pulmonalibus, dein in ramis & trunco, poſtea in dextro cordis ventriculo

(*q*) Bœrhaave Inſtit. Med. §. m. 605. (*r*) id. §. m. 200. No. 2. it. §. m. 625.

triculo auferret, quam exciperet integra motus ſanguinis circulatorij ceſſatio. Sed diaphragmatis cum coſtis & iisdem annexis muſculis actio non minoris eſt momenti. Conſideratur ut præcipuus hujus functionis director, qui ſuo depreſſionis motu violento, nempe ex ſitu convexo ea parte qua thoracem reſpicit in horizontalem ſeu planum (*s*) convertitur, cavitatem pectoris junctis viribus ampliorem reddit, ita ut reſpective ad athmoſphæram quoddam faciat vacuum, quo aër nos circumambiens gravitate ſua tendit, illudque ingreditur, niſi ſponte comprimatur glottis vel deprimatur epiglotis. Aſt licet vocetur requiſitum ad vitam abſolute neceſſarium, limitatione tamen hic opus eſt, nec indifferenter credendum omnibus hominibus neceſſarium eſſe, cum quæ hoc §. ponuntur, dicta ſint de ijs tantum quibus clauduntur foramen ovale & canalis arterioſus.

§. V.

Tertium conſtituit cerebellum una cum continuatis nervis. Illud ab omnibus pro viſcere nobiliſſimo habetur & cerebro quidem nobiliore, quod aſſertum experientia comprobat per vulnera in ejus ſubſtantiam inflicta, per ſe ſine alterius interventu & quidem abſolute & ſimpliciter lethalia: Quæ eadem dum cerebro contingunt, exinde non moriuntur ægri (*t*) hominesque ſenſu & motu

(*s*) Boerhaave Inſtit. Med. §. m, 610. Id. §. 616. (*t*) Fallop. de cura vulnerum cap. 45. & Paræ. lib. 9. cap. 9.

motu voluntario deſtituti, propter fortiorem cerebri compreſſionē, inter vivos tamē exiſtere non deſinunt, quæ ſi cerebello contigiſſet, ſtatim vitam cum morte mutare vulneratis neceſſe fuiſſet. Notum enim eſt cerebellum eſſe ſecretorium ſpirituum vitalium vel ſucci nervorum ad actiones vitales deſtinati, cujus neceſſitas jam probata, ulterius colligitur a languore, palpitatione motus cordis, ſi impeditus ſpirituum vitalium fluxus aut inordinatus & violentus eorundem in cordis fibrillas impetus, a compreſſione, obſtructione, vel ſuppuratione cerebelli oritur. (*u*)

§. VI.

Duo deniq; requiruntur FLUIDA. Primum fluidū eſt SANGUIS, alterum eſt AER. Quod Sanguis ſit requiſitum ad vitam abſolutè neceſſarium & ſacro codice & experientiâ confirmatur. Hæc Rerum Magiſtra noſtrum probat aſſertum, per vulnera majoribus vaſis inflicta, in quibus, niſi ſtatim ſuccuratur ægro, a nimio ſanguinis effluvio lipothymiâ fortiori non ſolum corripitur, ſed & cum vitalis hujus roris effuſione animam ſimul effundit. Ille revelatione aſſerit, quod anima brutorum conſiſtat in ſanguine (*x*) & quod hæc anima habenda ſit pro eorundem vita. Aſt in ſanguine adhuc latitant alij humores qui maſſam ſanguineam generaliter & late conſi-

(*u*) Bœrh. Inſt. Med. §. m. 284. No. 2 4. Id. §. m. 826.

(*x*) 1. lib. Moſ. S. Geneſ. cap. IX. ℣. 4. It. II. lib. S. Levit. cap. XVII. ℣. 14.

conſideratam conjunctim conſtituunt, uti ex infra dicendis magis patebit. (§. ſc. 8.)

§. VII.

Secundum fluidum eſt aër cum partibus ſubtiliſſimis & ad motum aptiſſimis, quæ in poris ejus continentur. *Ab aëre* enim, inquit Clariſſimus BERNERUS, (y) *vel potius combinatione Sphærularum ejus & intima unione cum fluidis alijs pendet optima ſanguinis temperies atque mixtura, & uterque motus inteſtinus & progreſſivus ab ipſo dependet*, eſt inſuper alterans univerſale tam fluidorum quam ſolidorum corporum, ſingulis mixtorum meatibus ſeſe inſinuans; dici quoque meretur præcipuum in pulmonibus ſanguinem actuans, quatenus tempore inſpirationis, graviditate & fluiditate ſua veſiculas pulmonum ingreſſus, eas plus minusve diſtendit, corporis ſui elaſtici præſentia ætherisque intus contenti mobilitate. Sanguis enim vi dextri ventriculi cordis pulſus in arterias etiam elaſticas, ab his compactus, denſatus, mutatus, ulterius ab eodem conquaſſatur, atteritur, fluidior redditur, poſtea canalibus trajiciendus aptiſſimus.

§. VIII.

Poſitis jam requiſitis, CAUSAM EFFICIENTEM VITÆ, ſive PRINCIPIA ejusdem, quæ duo ſunt conſideraturi

 ſumus.

(y) Exercit. phyſ. Med. de efficacia & uſu aëris Mechanico in corpore humano. p. m. 55.

ſumus. Prima conſiſtit in organica partium ſolidarum majoris uſus ſtructura. Altera in dotibus ſanguinis late ſic dicti. Hæ primo omni liquori univerſales ſunt, ut fluxilitas, lubricitas, volubilitas, uno verbo liquiditas; deinde ipſi tantum ſingulares, nempe dum conſtat ex tot diverſis humorum generibus, quot in homine reperiuntur, qui omnes ex ipſo ſuam ducunt originem, & in eundem rurſum convertuntur, exceptis exerementitijs & alijs qui ſponte & naturaliter excernuntur & eliminantur, ſic globi ſanguinei ſtricte ſic dicti pars rubra audiunt quæ cum ſeroſis & lymphaticis mixta ſunt & poſt venæ ſectionem ſegregantur, conſtat autem globulus ruber ex globulis ſex lymphaticis, lymphaticus ex totidem ſeroſis (z) &c. qui ſi ſubdividuntur, quod fieri poteſt per motum lenem, vel etiam per ſtagnationē, ſeroſi in partes aqueas microſcopij ope reperiuntur mutati. Hi ſi rurſum conjunguntur, poſito quod exiſtent adhuc in corpore, ex ſex globis unus globus major conflatur, ſicque ſex globi rubri ſanguinem vaſis primi generis i. e. majoribus deſtinatum conſtituunt, qui rurſum diviſi ingrediuntur vaſa ſecundi generis & tandem ultimæ ſubdiviſionis ad tertij generis tendunt, quæ diviſio & ſubdiviſio ſemper in ſerie canalium decreſcentium progreditur. Ex hac theoria dependet ſanitatis conſtantia, dum globi ſemper reſtituuntur qui contineri debent in vaſis primi generis, quod ſi autem res ſeſe aliter haberet, vera oriretur conſumptio humorum. Quod figuram globulorum

ſpectat

(z) Lœvwenh. arcan. nat. detect. p. 12.

ſpectat ſi ſanitas permanere debet ſarta atque tecta illis ſphærica competere debet, hæc enim mutata, & in ſtatu ſuæ mutationis pertinaciter permanens multa poſt ſe trahit mala, uti innumeris edocti exemplis illud confirmare poſſemus.

§. IX.

Hactenus conſiderata ſunt & REQUISITA & PRINCIPIA VITÆ, hinc illam clarius definire licet *per motum progreſſivum ſanguinis humorumque totius corporis, dependentem ab actione fibrarum cordis & vaſorum in humores & humorum reactione in fibras cordis & vaſorum*, qui motus tantum peragitur, quantum principia cum requiſitis combinantur, & finitur ſi unum vel alterum ex principiis in functione impeditur; ille vero motus ſanguinis ut paucis declarem verbis, fit ex ventriculo cordis ſiniſtro per aortam quæ ſparſos in itinere quam plurimos habet ramos & ramuſculos in omnes corporis partes diremtos (*a*) quos excipiunt venæ minimæ, magnæ, majores, usque dum maximæ in inferiorem & ſuperiorem cavam deſinant, inde in auriculam & cordis ventriculum dextrum defertur, ex hoc in arteriam projicitur pulmonalem & per ramos ejus minimos diſtribuitur, in quibus in venulas, inde in venam pulmonalem, auriculam, ventriculum cordis ſiniſtrum tendit, ubi denuo eadem quæ antea enarrata ſunt iterantur.

(*a*) Drake anthropolog. tab. XX.

§. X.

Quod ſi motus ille in initio vitæ non nimis intenditur nec in ſenio nimium diminuitur, ſpes eſt hominem in ſeram provehi poſſe ſenectutem, id eſt ſi placide fiat hic motus & principia vitæ ita ſint in æquilibrio interſe ut reactio humorum in vaſa non tam ſuperet in adoleſcentia ad virilem usque ætatem vim ſolidorum in humores, quam a virili ætate ad ſenectutem usque cedit actioni & vi ſolidorum, aut ut ſolida in primo ætatis vere non nimis citò increſcant, conſolidentur & elaſtica nimis fiant neque in ſenio rigida nimis evadant, evidens eſt per longum admodum tempus motum huncce duraturum eſſe adeoque homines qui lente & ſenſim ſenſimque increſcunt & ad ἀκμὴν ſui incrementi tarde perveniunt diutius vivere quam eos qui nimis citò fiunt viri ac proinde præmaturè ſeneſcunt.

§. XI.

Ut vero veritas præcedentis theſeos intellectu clarior evadat, ad ſequentia attendendum, in quibus differentias motuum fluidorum erga ſolida & horum ad illa quæ per omnes vitæ occurrunt ætates demonſtraturi ſumus. Per ætatem autem intelligimus cum FERNELIO (*b*) *id vitæ curriculum quô luculen-*

(*b*) ejusdem phiſiolog. lib. 3. cap. 10.

luculenter corporis conſtitutio per ſe & ſuo nutu mutatur ideoque quot mutationes ſenſibiles accedunt, tot vitæ ætates etiam conſtituere licet ; Nos tamen tres tantum vitæ periodos tanquam totidem ætates, incrementum ſcilicet, ſtatum & decrementum breviter conſiderabimus.

§. XII.

Prima periodus incrementum ſcilicet, complectitur hanc vitæ humanæ partem, quæ a prima hominis generatione usque ad illum tempus ſeſe extendit ubi homo ad ἀκμὴν ſui incrementi pervenit. In primo igitur ætatis vere humorum copiam & vim ſolida ſuperare, probat habitus corporis mollis & laxus ex fibrarum flacciditate, majorem vaſculorum numerum eſſe docent canales in fœtu tantum reperiundi, vires corporis & animi debiles eſſe experientiâ patet: quæ ſolida ſucceſſu temporis roborantur & augentur, decreſcit vaſculorum numerus & vires quaſi progerminant, uti mox patebit ; Sanguis nec craſſus nimis nec nimis fluxilis ſed maxime temperatus per habitum mollem & tenerum circulans, a corde in arterias, *ex lato in anguſtum pulſus*, *renixu contra motum ſuum facto*, *nititur vim vaſorum ſuperare*, & eorum latera juxta longitudinem extendere, quod fit ubique in vaſis majoribus & minimis, expanſio nempe eorundem, qua tunc minima, membranas majorum conſtituentia, nimis elongata adhuc minora fiunt & compreſſa per expanſionem liquidis orbantur, latera

eorum

eorum ad ſe mutuò concreſcunt & ex vaſis ita mutantur in fibras magis fortes & ſtrictas ut partes quæ laxius antea ſibi mutuo cohærebant, arctius nunc coeant, firmiusque ſibimet ipſis incipiant implicari; ſuturæ adunentur, ligamenta membranacea antea tenaciora fiant, pluresque cartilagines in oſſa indurentur & ſolideſcant, qua partium ſolidarum firmitate acquiſita infantes ſuis ſuſtinentur ipſimet fulcris, quorum beneficio, quô mens eos dirigit eò greſſu tendere poſſunt.

§. XIII.

Dum hæc infero, ſibi quispiam perſuaſum habere poſſet, corpus (ſi enarrata in ipſo ita peraguntur) gracileſcere debere, ideſt parietes vaſorum majorum per incrementum longitudinis craſſitie decreſcere, per contactum & contritum fluidorum cum ſolidis ſemper aliquid ex ipſis continui ſolutionem pati, ſed conſiderent quod vis eadem motus humorum quæ partes ſeparat & in principio multum extendit, quas jam ſeparavit, rurſum apponat, aut quas ſecum adfert, adunando ita applicet & reſtituat, ut craſſitie, dum longitudine & peripheria majores evadunt nihil deperdant, ideoque majorem ſoliditatem, intenſionem & elaterem acquirant, quæ omnia motus & copioſæ nutritionis eſſe ſolent conſectaria.

§. XIV.

§. XIV.

Adoleſcentes quibus jam ſtrictiores ſunt fibræ, per concretionem vaſculorum ſolidæ, per motum & augmentum elaſticæ magis redditæ fuerunt propter pulſum quem habent magnum & fortem qui agit in ſanguinem , propellendo eum per arctiores ſtrictioresque arterias quas dilatat & diſtendit, hocque pacto minores liquidis orbatæ, orbantur & minimæ ſicque ut ſupra dictum concreſcunt latera ; Arteriæ majores reactione ſanguinem magis compactum partim reddunt propter vaſorum diametri parvitatem ex valida compreſſione ſyſtolica dependentem, partim ſubtiliſant vel potius dividunt eum in globulos ſeroſos lymphaticosque, qui dum per minora vaſa propelluntur, ſecretionibus & excretionibus aufertur illud humidum fibras relaxans, quod in teneriore ætate in corpore fuit accumulatum, cum ſolida ſua liquida exprimere nondũ valerent, quo ſecreto evaporato excreto & eliminato evoluntur magis magisque explicantur partes Salino Sulphureo Terreſtres a quibus calor ſoliditas & robur, quæ motum inteſtinum intendunt, actionem ſolidorum adaugent & circulum ſanguinis augeſcere faciunt ita quidem ut ex habitu adhuc laxo nimis, ad ſtrictum tendant perveniantque adoleſcentes neceſſe ſit.

§. XV.

Perſonæ quæ jam majori vigore gaudent & in dies magis magisque ad finem incrementi ſui corporis accedunt, magno tunc præditæ ſunt robore propter majorem fibrarum ſoliditatem & elaſticitatem qua reſiſtunt impetui ſanguinis & propter majorem mobilitatem atque calorem ſanguinis, a quibus majori motu gaudent humores & a cauſa licet levi, in orgasmum cieri poſſunt qui utut cum impetu circulentur, non per vaſa minima, quæ in fibras validas abiere, ſed tantum pervaſa minora majora atque maxima, aſt ſtrictiora magisque ſolida & reſiſtentia moventur; Hæc autem vaſa ab humoribus multum diſtendi non amplius poſſunt ob ſolidorum robur, quæ tamen cum perfectam nondum acquiſiverint ſoliditatem, adhuc paululum ſuperantur vi fluidorum ideoque etiam parum creſcunt, quod imminutam fluidorum virtutem per incrementum virium ſolidorum hominesque ad ἀκμὴν ſui incrementi proximos eſſe probat.

§. XVI.

Altera periodus ſive ſtatus hanc vitæ partem continet, quæ a fine incrementi corporis ad ſenium usque exporrigitur, ad hanc itaque ætatem qui pervenerunt viri ſcilicet & conſiſtentis ætatis homines ſummis laboribus aſſueti vel apti, per eosdem vel vitæ vires ſibi acquiſiverunt fibras ad majorem ſoliditatem

ditatem proximas extenſioni ulteriori ineptas ſed maxime elaſticas & ad motum quemcunque pronas, fluida ipſis ſunt in æquilibrio cum ſolidis propter æqualitatem virium utriusque principij, itaque illa hæc amplius extendere nequeunt, ſed tantum in his agere quantum hæc in illis reagunt quæ æqualitas potentiarum hominem conſtituit in ſummo virium & corporis & animi gradu.

§. XVII.

Poſt ſtatum tandem acquirit ipſa natura decrementum tertiam vitæ noſtræ periodum conſtituens, quam homines ingrediuntur per habitum corporis magis ſicceſtentem ob fibras maxime ſolidas, magis rigidas & minus elaſticas ex ſola compactione elementorum quam produxit canaliculorum obſtructio, qua lateralia & inferiora vaſa nihil de humorum copia accipientes quibus diſtendi poſſint, collabuntur & exſiccantur, quorum tamen expanſio, ex fluidorum in illa influxu dependens, eis (cæteris paribus) elaſticitatem largiebantur; Quapropter fluida ſolidis partibus de æquilibrio quid cedunt, hæ vero magis magisque invaleſcunt, dum humores ſpiſſeſcunt & lenteſcunt ſicque inclinare & labaſcere tum corporis tum animi vires incipiunt.

§. XVIII.

Primam decrementi partem conſtituit ſenectus matura, qua partes firmæ ſolidiores ac ſtrictores factæ, vaſcula quoad maximam partem obſtructa, concreta & ex parte deleta ſecretiones ſaluberrimæ non rite peraguntur, excretiones ægre fiunt, inprimis ſanctoriana tranſpiratio impeditur, ſanguis ſalino ſulphureo hæterogeneis partibus aliàs per ſpiracula cutis excerni ſolitis, repletur, functiones viſcerum impediuntur, digeſtio ob fractas ventriculi vires ægrius peragitur atque materia nutritia in primis viis non rite elaborata ad nutritionem minus idonea evadit, ſicque verum manet commune medicorum dictum, aſſerens, quod Vitium primæ coctionis non corrigatur in ſecunda, multo minus in tertia & hanc ob cauſam præcipuè in ſenibus valet commune adagium, *les viellards mangent leur ſoupe ſur leur cercueil* id eſt ſenes ſuper feretrum prandent ; Conſequenter ſanguis degener evadens maraſmum ſenilem ingruere permittit, donec tandem accedat claudatque ætatum agmen decrepita ſenectus miſeriarum plena.

§. XIX.

Hanc ætatem præſentem eſſe dijudicamus, ſi ſanguis & particularum hæterogenearum aucta repletione fibrarum languor durities & ſoliditas augetur, corporis & animi debilitas præſto eſt, cujus tamen

finem

finem ignoramus uti dixit (*c*) CICERO *Omnium ætatum certus eſt terminus*, *ſenectutis autem nullus eſt terminus*: Revera enim hæc omnia in ſene decrepito reperiuntur, imo membra exareſcunt, vires vitales proſternuntur, uno verbo omnia in pejus ruunt, donec viſcera cum omnibus corporis partibus ſuis muneribus amplius fungi haud valeant, unde talis decrepitus placide ſæpe & cum quiete ut elychniũ evaneſcere videtur morsque accedit ſua ſponte juxta leges nacturæ, quod CICERO (*d*) jam agnovit, inquiens, *vitam adoleſcentibus vim auferre*, *ſenibus maturitatem*, it. *omnia quæ ſecundum naturam fiunt*, *ea in bonis haberi debere*, *quid eſt autem tam ſecundum naturam quam ſenibus emori*?

§. XX.

Illuſtrata præcedentibus paragraphis hiſtoria vitæ, nunc ad thematis mei tractationem propius devolvor, breviter oſtenſurus prius, quid per mortem cum authoribus ſit intelligendum: *Sunt qui diſceſſum animi a corpore putant eſſe mortem* (*e*) ARISTOTELICI eam vocaverunt *calidi marcorem & languorem propter temporis longitudinem* SCALIGER inquit quod ſit *ceſſatio omnium functionum animæ propter compoſiti diſſolutionem*; alji nuncuparunt quod mors ſit habenda pro *privatione vitæ*, *procedente*

 ex

(*c*) Libr. de ſenectute. (*d*) loco citato. (*e*) dixit Cicero I. Tuſcul.

ex corruptione proportionis inter vivificans & vivificatum celeberrimus denique STAHLIUS (*f*) aſſerit quod mors *nihil aliud eſſe poſſit quam deſtructio mixtionis corporis a defectu organico mechanicorum motuum pendens, quibus vita alias præſtari ſolet.* Cum omnes hæ definitiones mihi non arrideant, his inductus rationibus, quod, quod de ipſa morte inquibuſdam prædicatur definitionibus, tantùm poſt mortem accedat & in quibusdam ſit ſonus ſine ſenſu, id eſt vox præterea nihil; Liceat ergo meam ipſis mechanicorum convenientem hic apponere definitionē, quæ intelligenda per ceſſationem omnimodam & conſtantem fluidorum atque ſolidorum motuum ad vitam abſolute neceſſariorum vel potius per ineptitudinem conſtantem machinæ corporis ad motus ſubeundos, quam diſceſſus animæ concomitatur & deſtructio mixtionis corporis ſubſequitur.

§. XXI.

Mors cujus (§. 20.) tradita generalis definitio ex diverſis quibus accidit cauſis in diverſas dividitur ſpecies in NATURALEM nempe IMMATURAM & VIOLENTAM. NATURALIS eſt quæ procedit ex ipſa hominis natura, id eſt ex conſtitutione partium ſolidarum atque fluidarum naturali atque iis motibus qui in corpore vivo & ſano contingunt & hæc mors dependet

(*f*) Diſſ. de theor. vit. & mort. §. 1.

pendet a ſolidorum rigore & ariditate, vaſculorum minimorum concretione & deletione permotus qui in corpore peraguntur contigentibus & fluidorum vapiditate a præcedentibus cauſis orta. IMMATURA vocatur quæ ex cauſis præternaturalibus dependet & antecedit terminum naturæ ut quæ ex morbis provenit. VIOLENTA denique dicitur quæ accidit a cauſa quadam externa & cum ſenſibili & magna vi agente.

§. XXII.

Quod autem generalis definitio has in ſe comprehendat, luculenter patet, ex eo, quod hæ ſpecies in nulla aliare conſiſtant quam in ceſſatione & ineptitudine (§. xxo.) allegatis, & quod in his non niſi cauſæ enarrantur, ex quibus diverſitis mortis procedit. Ceſſatio vero & ineptitudo conſtans &c. cujus hic loci mentionem facio, pro naturali audit, cum ex ipſa natura partium corporis atq; eorum motuum qui vitam in corpore præſtant, naturaliter ſequatur, quod ratiociniis a priori & poſteriori deſumtis, id eſt ratione & experientia probandum.

§. XXIII.

Corpus humanum totum quantum in initio fuiſſe fluidum, probat ejus conceptio, illud fluidum

in

in vaſculoſum genus quod ſenſim in carinam & punctum ſaliens abit, mutari, docet embryon duorum vel plurium dierum, vaſcula hæc vi tam vitæ matris quam puncti ſalientis & carinæ abire in ſubſtantias molles, ex quibus viſcera & aliæ partes deducuntur, oſtendit inſpectio, tandem oriri ſtamina mucoſa totum corpus involventia patet ex fœtu perfecto qui mediantibus requiſitis ad vitam neceſſariis §phis ſuperius & principiis vitæ præcedentibus deſcriptis tantum increvit ut tandem in lucem edendum aptus evaderet.

§. XXIV.

Enarratis (§. xxiii.) mutationibus, quibus quod erat fluidum ſolidum compoſitum evaſit cum antea quiete, cohæſione & figura differebat a ſolidis, ex ſequentibus oſtenſuri ſumus, quo fundamento fieri poſſit ut hæc ſolida compoſita, id eſt vaſcula in corpora ſolidiora abire poſſint, ut tandem corpus penitus fere terreſtre conſtituant certo ætatis curſu & una via naturæ, uti quodam modo demonſtratum fuit §is 13tio. 15to. 16to. 17mo. 18vo. & 20mo. nempe quomodo homo ſenſim, ſine ſenſu ſeneſcat nec tamen ſubito frangatur, dum compages fibrarum vaſcula minima componentium quæ ad ſtructuram majorum inſerviunt ex immaturitate nimia, mollitie, flexilitate ad debitam ſoliditatem, maturitatem perducitur & vaſcula minima in fibras mutantur duras & aridas.

§. XXV.

§. XXV.

Ut autem in aprico ſit modus, quô quæ §pho antecedenti dicta ſunt, peraguntur, fundamentum inquirere neceſſe eſt, quod deprehenditur in his duobus motibus, quorum alter movet per longitudinem canalis, alter eodem tempore quaqua verſus ad latera. Priori fit directio fluidorum directa in vaſa, poſteriori horum propulſio ad lateralia, illo motu horum vaſculorum oſcula clauduntur, hoc vero aperiuntur. Notandum tamen quod priori fluidi progreſſus augeatur, hoc retardetur in minimis æque ac majoribus, in illis plus, in his minus, hæc ob majorem capacitatem, dum illa, a communi cauſa, compreſſa inaniuntur & quod continetur fluidi exprimitur ita ut latera parietum concreſcere valeant concretisque parietibus in fibras abire poſſint.

§. XXVI.

Quod ſi jam ad motus §pho præcedenti deſcriptos recte attendimus eos illud magni momenti opus §pho 24to. memoratum peragere, id eſt vaſcula minima in fibras mutare capaces ſufficientesque deprehendimus, dum priori vaſa majora æque ac minima extenduntur, minusque capacia evadunt,

D & po-

& poſteriori majora quidem & magna dilatuntur, minima vero per dilatationem illorum comprimuntur, a compreſſione humores in eorum cavitate contenti ita exprimuntur, ut nihil fluidi quod per ipſa adhuc moveri deberet, permaneat: ſed cum omnes corporis partes imo & particulæ ejus minimæ quæ nondum coaluerunt perſpirabiles ſint, oſſibus etiam duriſſimis non exceptis, materia nutricia Hippocrati Gliſchron dicta, quæ per poros exſudat ibi a denegato ulterius cum liquoribus progrediendi itinere, permanens, illicò concreſcit, & parietes vaſorum cum ſe invicem adunat, ſicque per conſequens, factâ adunatione, vaſculum ſua cavitate privatum in ſolidius corpus, fibram nempe permutatur.

§. XXVII.

Aſt cum hi motus (§. xxv. deſcripti) vita ſubſiſtente permaneant, ſemperque moveant, in propatulo eſt, eos, tam ingentem vaſculorum copiam per tam inſigne tempus mutare, & elementa corporis terreſtria ita inter ſe compacta reddere poſſe, ut tandem vaſcula minima minora & parva ſub forma ſubſtantiæ fibroſæ cernantur, quæ vel oſſeæ vel cartilaginoſæ, vel carnoſæ, pro diverſo loco quo hæc amandantur, apparent, imo & rigeſcant, ut ad motus ſubeundos tandem inepta fermè reddantur.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Motu dictarum partium ita impedito, nullus erit qui inficias ibit, quod fieri aliter minimè poſſit, quin & humores ſimul lenteſcant & vappidi cacochimicique reddantur, a ſufflaminatis quantulum ſecretionibus & excretionibus, quibus aliàs liberabatur corpus a ſuperfluis nocituris, adeoque ipſum amplius proficere nequit, materia enim nutritia qualitate debita ad proficue nutriendum idonea depravatur ideo nec partibus ipſa utilirer opponi poteſt, conſolidatis prius organis proximis nutritionis ſed deterius ipſum evadere id eſt decreſcere, per motus circulatorios particulas quasdam non amplius nutritione, quæ in corpore plane deficit, reſtituendas amittere, partes terreſtres compingere, rigidas, ſolidasque exſiccatas prorſus, minusque flexiles, aridas evadere, uno verbo corpus vires ſuas amittere debet.

§. XXIX.

Jam ex hactenus dictis vidimus Baglivi aſſertum veritati congruum eſſe, quod *vivere ſit noſtrum ſicceſcere* (g) nunc ex inde deducenda eſt ratio

(g) Diſſ. I. de nat. fibr. & de morbis ſolidorum p. m. 414.

tio mortis naturalis quæ ordinario & tantum in illis, qui in extremæ vitæ ſtadio exiſtunt, id eſt ſenio confectis, accidit, quod tamen decrepitis proprium tantum eſſe non tenendum, cum morte naturali non ſolum decrepiti decedant ſed & pueri, adoleſcentes & juvenes qui a nativitate admodum languidi ac imbecilles ſunt, tamque debili corporis conſtitutione gaudent ut brevi omnia vitæ ſuæ ſtadia quaſi ſenum inſtar decurrant. (*h*) Hæc ratio inquam conſiſtit in reſiccatione ſolidorum ex qua pendet fluidorum vappiditas quibus *tenor & vis naturæ partiumque omnium compages ſolvitur* ita ut *ob quandam naturæ maturitatem magis quam ſuffocationem moriantur* (*i*) Atque hæc de morte naturali & occaſione hujus plura de vita, qua illa clarius pateſcit, dixiſſe ſufficiant. DEO que ter OPTIMO ter MAXIMO pro infinitis in me collatis beneficiis ſit Laus honor & gloria.

F I N I S.

(*h*) Lanciſ. *de* mort. ſubit. p. 7. (*i*) hæc verba ſunt Baglivi.

Culmi-

CUlmina Doctorum nunc ſcandis, digna labore,
Culmina Celſa ſubis; præmia multa cape.
Supremum Cœli Numen Tua cœpta ſecundet,
Apprecor, ex animo proſpera quæque fluant.

Hæc Nobiliſſimo Dno. Candidato Amico & Conterraneo Suo apponere voluit & debuit.

JOH. URBANUS PERDRIX, U. J. St.

QVas hilari dextrâ Lauri Tibi tradit Apollo,
Amplæ doctrinæ ſunt monumenta tuæ.
En! Morbi jam jam quaſi præterrore recedunt.

Aſpectuque fugit Mors ſtupefacta tuô.
Perge igitur, nec ſiſte gradum, ſic gloria parta
Æternos annos poſt tua fata geret.

Hæcce in ulteriorem ſui commendationem & amicitiam Doctiſſimo Candidato appoſuit

D. S. DUVERNOY, J. U. Stud.
Montisb.

Desidiæ victor, poſt tædia longa laborum,
Artis es en gnarus factus Apollineæ.
Depictam affigiem mortis per plurima ſiſtens,
Nos naſcendo mori diſce, docendo mori.

Ita
In amicitæ Teſtimonium Nobiliſſimo
DNO. Candidato applaudit,

PETRUS DAVID BEURNIER, J. U Stud.
Montisbelgardenſis.

Quilibet

QVilibet hinc currat Fautor, ſua præmia geſtet.
Gratetur genito, plauſibus atque Patri.
Sic juvat eximios tandem finire habores,
Ut jamjam veniant, præmia, juſta TIBI;
In Patriam redeant fructus, TIBI gloria ſurgat
Et decus hoc Tua nunc ſentiat omne Domus.

Hæc in ſinceræ amiciciæ ſignum Nobilliſſimo DNO. Inauguraliter *defendenti apponere voluit,*

CAROLUS JEREMIAS GOGUEL, J.U. Cult.
Montisbelgardenſis.

O Felix, nimium felix! qui contigit unquam
Optati portûs littora tuta, rate.
Felix! qui ſtudiis cum naviter usque vacavit,
Tandem quit metam tangere propotſiam.
Fauſta igitur Tua ſors eſt, chare Le conte, *labore*
Qui arte potens jamjam factus Apollinea:
Agris ecce potes dare opem, morboſve fugare
Si faveat ſummum numinis auxilium.
Hinc decus, hinc laudes, quæ Te ſine fine manebunt,
Si ſolito ſemper tramite pergis iter.

Obſervantiæ atque Amicitiæ ergo hæc appoſuit *DNI. Candidati Studioſiſſimus.*

G. D. BRISECHOVX, J. V. Cultor,
Montisbelgardenſis.

Dum

DUm lætus doctam conſcendis, AMICE, Cathedram,
Ingenii monſtres vimque decusque Tui,
Quo referas meritum merita cum laude Triumphum,
Praemiaque accipias digna labore Tuo.

Ita
Nobiliſſimò DNO. Candidato
animitus apprecatur

JOHANNES UNSELT, Phil. Stud. Argent.

TANTUM.